



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Georgii Buchananani Paraphrasis, In quartum librum Psalmorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Tempora prætereant uitæ. frustra ergo crearis  
 Humani generis sobolem, ut breuis exigat æui  
 Tempora, perpetuò curarum exercita fluctu?  
 Dum fractam luctu & morbis, senioue, sepulcri  
 Clauserit obscuro mors illacrymabilis antro.  
 Heu bonitas ubi prisca? fides ubi pristina? ubi il  
 Fœdera cõceptis quondã cū Dauide uerbis (la  
 Facta tibi? cerne opprobrijs quib? impia seruos  
 Turba tuos premat insultans: quàm multa si  
 lenti

Clausa sinu maledicta ferã, dū turba profana,  
 Dum circū innumere gētes conuitia fundunt,  
 Nosq; tui Christi uerbis petulanter amaris  
 Aduentum sperare iubent. At tu bone rerum  
 Conditor, æterno uerax celebraberis æuo.

GEORGII BV  
 CHANANI PARAPHRASIS, IN  
 quartum librum Psalmorum.

PSAL. XC. Domine, refugium factus es  
 nobis in generatione, &c. Carm gen. 3.

Cælitum rector bone, ab usq; primis  
 Sæculis, mundi rudis & iuuenta  
 Qui laborantes ope subleuasti

Semper amicos:

Ante-

Antequam tellus noua parturiret  
Montium saltus, tegetetq; montes  
Lucidus cæli decor, ante metas

Lucis & umbræ:

Tu manes idem pater orbis, unus  
Nec uices rerum patiens, nec æui  
Termino clausus breuis: unus expers

Finis & ortus.

At breuis nobis miseræq; ~~q;~~

Fila paulatim tenuas, se

Donec in putrem cinerem caducos

Soluerit artus.

Tempus annorum tibi mille, lucis

Instar hesternæ, fluidi q; puncti,

Nulla decursus quod, ubi recessit,

Signa relinquit.

Nostra uanescit tenues in auras

Vita, per ficcas uelut unda arenas,

Aut uelut sensus per opaca ludens

Noctis imago.

Herba ceu uerno saturata rore

Manè, mox languet medio sub æstu,

Mox humi comis iacet arefactis

Vespere sero.

Præter & uitæ mala tot fugacis,

Quæ uoluptates uitiant amaro,

Ira turbatis tua semper instans

Pectora uexat.

Quicquid erramus temerè aut malignè,

Quæ timor celat tenebris pudorue,

Tu uides, nec te latet inquieti

Pectoris æstus.

Dum

Dum tui pœnas meritas furoris  
Mens reformidat, propè cogitatu  
Ocyus uitæ spatium citatis

Aufugitalis.

Septies denos spatiosa in annos  
Vita procurrit: quibus est senecta  
Firmior, ferme in decimum super sunt

Amplius annorum

Quid senectutis natiuitatem labores  
Transuolat blande uer iuuentæ,  
Inquies curis miserisq; morbis,

Ocyus Euro.

Deinde quis iustæ tolerabit iræ,  
Impetum, si iam iubeas nocentes  
Pro modo offensæ numeroq; iustas

Pendere pœnas?

Sic pater, sic ô numerare fluxæ  
Nos doce uitæ spacium, caducis  
Mens ut à curis reuocata, ueri

Lumen honesti;

Cernat. O tandem, placidus fauensq;  
Desine irarum, propiusq; seruis  
Semper assueta tibi lenitate

Consule fessis.

Fac tuæ fructu bonitatis aucti,  
Gaudio tandem fatiemur: agris  
Liberi ut curis reliquos agamus

Suauiter annos.

Cedat & lætis fugiens uicissim  
Luctus, exacto modus & labori  
Par uoluptatis subiens amarum

Mitiget æuum.

Facta

Facta, maiestas, opera, amplitudo  
 Nota sint seruis tua, posterisq;  
 Nota seruorum, tua qui libenter  
 Iussa capessunt.

Fac tuae semper bonitatis ut nos  
 Splendor illustret, bone rector orbis:  
 Gratia aspirans tuor actiones

PSAL. XCI. *Quintus*

*altissimi, etc.*

**S**I protegendam praesidio Dei  
 Credas salutem, rem, sobolem, domum,  
 Infana quum fors intonabit,  
 Si Domini fugias sub umbram,  
 Securus omnem fer uolentiam  
 Sortisq; mortisq;, & terrificas minas  
 Contemne, securus tumultum  
 Despicias creperi duelli:  
 E fraude caeca te Deus eximet,  
 Frangetq; casses insidiantium:  
 Nec saeuens late uenenum  
 Letiferae patiēre pestis:  
 Expandet alas te super, & suis  
 Pennis fouebit rebus in asperis:  
 Certusq; promissae salutis  
 Sub clypei latitabis umbra.  
 Noctis per atrae caeca silentia  
 Non expauesces ceca pericula:

M

Non luce grassantem timebis  
 Perniciem, nec aperta bella:  
 Interq; strages mille cadauerum,  
 Dextra, sinistra, mille cadauerum  
 Periculorum exors propinquam  
 Incolumis fugies ruinam.  
 Pœnam luentes interea malos  
 Lætus uidebis in gremio Dei  
 Securus arantia terra & tumultus,  
 Ceu ualidis tectis in muris.  
 Nec te, nec ædes uis propius tuas,  
 Aut damna tangent. Nam Deus Angelos  
 Custodiæ tuæ salutis  
 Præficient, uigilesq; ad omnes  
 Motus, uiarum qui referent moras:  
 Qui per salebras te manibus ferant,  
 Ne saucietur pes recussus  
 Obicibus scopulorum acutis.  
 Securus atras inter & aspides  
 Deges, ferarum & pignora tigris:  
 Tutusq; calcabis dracones,  
 Et Libycæ catulos lænæ.  
 Obseruat, inquit, me, Deus, unicè, &  
 Honore nomen prosequitur meum:  
 Laboriosis hunc uicissim  
 Incolumem eripiam periculis.  
 Præsens uocanti subsidium feram,  
 Et imminenti rebus in asperis  
 Fato eximam: exemptoq; honorum  
 Eximium decus arrogabo.

Faxo

Faxo uirenti robore tranfigat  
 Seræ senectæ tempora suauiter:  
 Meosq; monstrabo beare  
 Qua soleam ratione amicos.

PSAL. XCII, Bonum est confiteri Domi-  
 no, & psallere, &c. Carm. gen. 3.

**T**E prædicare, laudibusq; prosequi,  
 Rex alme cælitum: Hecet:  
 Seu sol Eoa luce terras purpuret,  
 Seu nox tenebris obruat.  
 Lux prædicantem me tuam clementiam,  
 Nox audiet constantiam:  
 Nec uoce tantum, sed canora barbita,  
 Sed cymbalo, sed nabho.  
 Operum tuorum tacita cogitatio  
 Animum iacentem exsuscitat.  
 Quam facta reputo, gestiunt præcordia  
 Perfusa dulci gaudio.  
 O opera, facta, ô uerè magna, ô sub caua  
 Consilia nube condita:  
 Consilia cæcis mentibus mortalium  
 Ignota: qui non cogitant  
 Florere prauos instar herbæ, quam fouet  
 Sol lenis, humor educat:  
 Mox instar herbæ frigorum afflatu leuî  
 Marcentis euanescere.  
 Tu semper idem permanes, nec sentiens  
 Rerum uices nec temporum:  
 Sceleris amicos ac tuos hostes premet

M ij

Ruinæ ineuitabilis:

At me fouebis patria indulgentia,

Crudo uigentem robore:

Et rore mitis balsami uultum imbues,

Roseo iuuentæ lumine.

Oculis malignis qui tuentur me hostium

Pascam ruinis lumina

Et impiorum qui creant molestiam

Mihi, lætus excidium audiam.

Ceu palma, iustus germinabit interim,

Aut Cedrus in Libani iugo,

Quam non procellæ, non calor, non frigora

Honore nudant frondium.

Quæ planta firmis hæserit radicibus

In æde Domini aut atrijs,

Se flore amœno frondibusq; uestiet:

Fluxiq; lapsu temporis

Aegrè senectæ damna nulla sentiet,

Onerata largis fructibus,

Vt nota cunctis gentibus sit æquitas

Domini potentis: qui meæ

Arx est salutis una, qui nunquam malæ

Affinis est iniuriæ.

PSAL. XCIII. Dominus regnauit, decorem indutus est, &c. *Carm. gen. 2.*

**I**am Dominus rerū imperiū suscepit, amictus  
Decore multo & dignitate: robore

Iam sese accinxit: Dominus, qui mœnia mundi

Firmauit, ullo non mouenda sæculo.

Cuius



Cuius ab æterno solum est immobile regni,  
 Vt ipse, nullas temporum metuens uices.  
 Flumina præcipientes uoluant quã murmure flu  
 Et æquor undis æstuet minacibus, (Etus,  
 Cõpescit Dominus grauidis turgentia nimbis  
 Flumina, minacis sternit undas æquoris.  
 Stat fixum & cunctis manet inuariabile sæclis  
 Quodcunq; Dominus ore sancto protulit.  
 Quæq; eadẽ exornat Domini sacra mystica, nul  
 Obluionis damna seræ sentient. (la

PSAL. XCIIII. *Deus ultionum Dominus,  
 Deus ultionũ liberè egit, &c. Carm. gen. 14.*

O Fraudis ultor, sceleris ô uindex Deus,  
 Ostende numen impios contra tuum.  
 O iuste iudex orbis expergiscere,  
 Meritisq; pœnis reprime arrogantiam.  
 Quousq; tandem, rector orbis optime,  
 Sese superbè iactitabunt impij?  
 Deuota sceleris factio in scelere suo  
 Plaudit, sibiq; fabulis stultis placet:  
 Tuumq; populum pedibus interim premunt,  
 Tuam proteruè hereditatem proterunt.  
 Viduam trucidant aduenamq; & omnibus  
 Parente castos obruunt molestijs:  
 Secumq; mussant, Hæc Deus non aspicit,  
 Nec fanda prorsus & nefanda intelligit.  
 Gens ergo bruta penitus ignorantia  
 Obsessa pectus somnolentum, discute  
 Animi ueternum, & cogita tecum, Deus

M iiij

Qui fecit aurem, surdus est? qui luminum  
 Formauit orbem, ipse nihil uidet? uagas  
 Sine lege gentes recta qui sequi docet,  
 Non is suorum puniet scelera, quibus  
 Oracla legum sacrosancta credidit?  
 Arcana nostri pectoris nouit Deus,  
 Consilia uana, spes inanes, turbidos  
 Aestus. Beatus ille demum quem parens  
 Erudit amore patrio, legis suæ  
 Cui scita monstrat. rebus in duris aget  
 Securus æuum, dum paratur impio  
 Nassa, in lacunam incogitantem quæ trahat.  
 Hæreditatem nec Dominus unquam suam  
 Ope destitutam negliget, nec impijs  
 Prædæ relinquet. sed tribunal iudicum  
 Ad æquitatis diriget normam suæ:  
 Vitamq; ad illam dirigent boni suam.  
 Contra scelestos quis mihi auxilium feret?  
 Mecum impiorum quis premet superbiam?  
 Nam iam sepulcri frigidus sub frigido  
 Cumulo iacerem, nisi Dominus opem mihi  
 Præsens tulisset, & sua clementia  
 Firmasset animum, & iam uacillatæm gradum  
 Fulcisset: & me penè submersum malis  
 Solatus esset. anxietatibus nubibus  
 Curæ remotis reddidisset gaudium.  
 Mecum loquebar, Quid scelestis cum Deo  
 Commune? scelera legis umbra qui sua  
 Tegunt, bonorum fraudulenta qui in caput  
 Concilia coeunt: factione innoxium  
 Premunt, iniquisq; obruunt sententijs.

At

At rector orbis me tuebitur, meæ  
 Custos salutis, arx meæ fiducia,  
 Pro scelere prauis digna reddet præmia:  
 Suis & ipsos artibus pessundabit  
 Rerum creator Dominus, ac noster Deus.

PSAL. XC V. Venite exultemus Domino,  
 iubilemus Deo, &c. Carm. gen. 2.

**E**ia alacres cuncti Dñi celebremus honores:  
 Salute parta Domino agamus gratias.  
 Eia alacres rapiamus iter, mora segnis abesto:  
 Dominum canora personemus barbito.  
 Magnus enim Dominus Deus est: Rex magnus,  
 Lögè uniuersis est deis potetior. (& orbis  
 Ille manu fulcit uastæ penetralia terræ,  
 Et nube cinctæ montium fastigia.  
 Ille uagum fecitq̄, & factum téperat æquor,  
 Terramq̄ salis innatantem fluctibus.  
 Eia igitur genibus flexis manibusq̄ supinis,  
 Dominoq̄ nostra supplicemus & patri.  
 Noster enim Deus est, nos grex illius: ab uno  
 Pendemus illo, spiritumq̄ ducimus:  
 Si modò non lentam uerbis damus illius aurè,  
 Nec respuamus monita pertinaciter:  
 Nec, uelut ad Meribā, me rixis, inquit, acerbis  
 Et arroganti prouocetis murmure:  
 Aut, Arabū ueluti quōdam per inhospita saxa,  
 Vires rebeli uoce tentetis meas:  
 Quum pro ani uestri me explorauère, meamq̄  
 Didicère factis plurimis potentiam.

M iij

Illa quaterdenis mihi natio restitit annis:  
 Dixiq3 semper interim, Hæc gens desipit,  
 Et mea securas transmittit dicta per aures.  
 Ira ergo iusta in pertinaces concitus  
 Iuravi, Terræ gens hæc ingrata beatæ,  
 Promissa amicis cōmoda haud carpet meis.

PSAL. XCVI. *Cantate Domino cantium nouum, &c.* *Carm. gen. 10.*

**N**on usitato pangite  
 Orbis parentem carmine,  
 Orbis coloni, incognitis  
 Abusq3 terræ iusibus.  
 Cantate Dominum, laudibus  
 Nomen beatum tollite,  
 Et mente grata agnoscite  
 Vestræ salutis uindicem.  
 Sol quâ recurrit audiant  
 Gentes Dei potentiam,  
 Stuporq3 dulci gaudio  
 Perfusa oberret pectora.  
 Nanq3 unus est uerè Deus  
 Cunctisq3 maior laudibus  
 Et Dijs timendus cæteris,  
 Quos horret horror credulus.  
 Vesana gentes cæteræ  
 Pro dijs colunt ludibria:  
 Dominus potenti dextera  
 Cælum solumq3 condidit.  
 Apparet illi dignitas,

Aucto-

Auctoritas, potentia:

Eiusq̄q; templa siderum

Fulgore lucent gloriæ.

Tribuite Domino gentium

Terras colentum sæcula,

Tribuite regi cælitum

Et robur & potentiam.

Tribuite magnitudinem

Tanto decoram numini:

Augusta templi ad atria

Adferteprompti munera.

Adeste, pompam adducite,

Et supplices procumbite:

Omnesq; rerum termini

Deum tremant & diligant.

Narrate cunctis gentibus

Regnare Dominum, qui ligat

Orbem catena immobili, &

Aequis gubernat legibus.

Lætetur æther, gestiat

Tellus, fretum præ gaudio

Exultet, & quicquid freti

Salfas lacunas incolit.

Campi uirescunt auj,

Se culta fruge uestiant,

Arrideantq; floribus

Silux, & grauentur fructibus.

Natura rerum gestiens,

Cunctos per artus sentiat

Dei sui præsentiam,

M v

Et prompta iussis pareat.  
 Ius namq; ueniet dicere,  
 Aui suos ut asserat,  
 Mundumq; iustis legibus  
 Et ueritate temperet.

PSAL. XCVII. Dominus regnauit, ex-  
 ultet terra, &c. Carm gen. 2.

**I**Pse sui Dominus regni moderatur habenas  
 Lætare tellus continens, & insulæ  
 Quas uagus Oceanus refluis cõplectitur undis  
 Cuiusq; cæli subiacetis cardini.  
 Hunc circum umbriferæ nubis prætexit amictus  
 Pallensq; multa fuscâ nox caligine.  
 Apparent famulæ iuxta, firmantq; tribunal  
 Seueritasq; dura, mitisq; æquitas.  
 Ante uolant sæuûm rutilantes fulminis ignes,  
 Hostesq; flammis obruunt sequacibus.  
 Fulguribusq; micat latè flagrantibus æther:  
 Attonita tellus intremiscit: montium  
 Saxa fluunt, rapido ceu cera liquefcit ab igne,  
 A sempiterni pauida uultu numinis.  
 Terra sui à uultu Domini tremefacta liquefcit  
 Et æquitatem templa cæli prædicant.  
 Et quicunq; habitât terras ubicunq; remotas  
 Nouère numen & Dei præsentiam.  
 Illis ora pudor turpis confundat, inanes  
 Quicunq; mentis stipites pro dijs colunt:  
 Dùmq; sacris placant picti ludibria trunci,  
 Se

Se glorientur impio in scelere pios.

Quicquid ubiq; Dei sub nomine credulus er-  
Honorat, unum adoret, unum diligat. (ror

Læta Sion tenebras errorum cernet abactas:

Iudæa dulci delibuta gaudio,

Sacrilega aspiciet uani sacraria ritus

Euerfa, pœnas luere meritas impios.

Nam procul a striferi trans ignea mœnia mūdi

Tu frena rerum iustus arbiter tenes.

Tēq; deos infra longè premis altior omnes,

Tuiq; obumbras numinis fastigio.

Ergo Deum quicumq; pio complectere amore

A scelere mentem contine puram & manū.

Nā Domino cordi est pietas, uitamq; bonorū

A ui tuetur impiæ tyrannidis.

Et lætum offundit lumen cultoribus æqui,

Et pura sceleris corda recreat gaudio.

Vos quibus est cordi reuerentia iuris & æqui,

Gaudete, Domini spe fauoris ac opis

Securi: gratoq; Deum super æthera cantæ

Sanctūmq; nomen eius usq; tollite.

PSAL. XCVIII. Cantate Domino cant.

etc.

Carm. gen. 10.

**N**on usitato carmine

Rerum parentem pangite,

Virtute qui uictoriam

Non usitata rettulit:

Sua ipse solus dextera,

Externæ opis nil indigus,

Nos

Nos liberando, posteris  
Miranda gessit sæculis.

Sensere gentes impię  
Bello Dei potentiam:  
Pœnas luendo, iudicem  
Sensere iustum & uindicem.

Promissa soluit optima  
Fide Isaci nepotibus,  
Partæ salutis testibus,  
Totius orbis incolis.

Huic ergo læti psallite  
Totius orbis incolæ:  
Hunc ferte in astra laudibus  
Lætis, tubæ & clangoribus.

Laudate Dominum barbitō  
Neruisq; carmen iungite:  
Lenisq; tibiæ modis  
Adsit sonora buccina.

Testetur æquor gaudium,  
Et quicquid æquor occultit:  
Orbisq; terræ gestiat,  
Et quicquid orbis educat.

Exultet unda fluminum,  
Leni susurrans murmure:  
Montesq; læti plausibus  
Deum uenire gaudeant.

En ipse Dominus aduenit,  
Cunctis ut orbis incolis  
Det æqua iustus præmia,  
Et facta plectat impia.

PSAL.



PSAL. XCIX. Dominus regnauit, iras-  
cantur populi, &c. Carm. gen. 13.

Iam regnum Dominus, spirituum pijs  
Qui dat iura choris, suscipit: impijs  
Horror terrificet pectora gentibus:  
Tellurem quatiat tremor.  
Nec tantum Solymæ uim Dominus sui.  
Fecit conspicuam numinis, & sue  
Maiestatis opes cernere finibus  
Terrarum dedit ultimis.  
Ergo te meritis tollat honoribus,  
Augustum celebret gens hominum tuum  
Nomen, qui salubri temperie modum  
Sceptris constituas tuis.  
Selectæ soboli qui populi tui  
Ius nullis dederis mobile sæculis:  
Frenas iustitiæ qui moderamine  
Aequali genus Isaci.  
Sublimem Dominum laudibus & Deum,  
Solutus qui liquido regnat æthere,  
Ferte, & scamna pedum (sanctus enim Deus  
Est noster) ueneramini.  
Huic Moses & Aron & Samuel bonus  
Docti legitimis tingere uictimis  
Aras, consilium quum peterent, data  
Sæpe oracla petentibus.  
De pila tereti nubis eis dabat  
Responso ambiguis sollicito metui,  
Legum quod monitus pactaq; fœdera  
Seruassent stabili fide.

Aurem

Aurem supplicibus tu facilem dabas,  
 O rerum genitor maxime & optime,  
 Indulgensq; bonis, & scelerum simul  
 Vindex, durus in impios.  
 Sublimem Dominum tollite laudibus,  
 Solus qui liquido regnat in æthere: &  
 Montem quo colitur (sanctus enim Deus  
 Est noster) ueneramini.

PSAL. C. *Iubilate Deo omnis terra, serui-  
 te Domino, &c.* *Carm. gen. 22,*

O Rbis omnes incole,  
 A sole Eoo ad Hesperum  
 Iubilate, & optime  
 Rerum parenti plaudite  
 Mente læta, & ritibus  
 Seruite puris numini.  
 Gestientes gaudio  
 Adite sancta limina.  
 Ille noster est Deus,  
 Noster parens & conditor.  
 Non enim nos finximus  
 Ipsi, sed illius sumus,  
 Qui leui de puluere  
 Alit creatos & regit.  
 Ad fores ergo illius  
 Adite læti: gratias  
 Agite: festis laudibus  
 Benignitatem pangite.  
 Prædicare cæteris

Nomen

Nomen beatum gentibus:  
 Nam benignitas Dei,  
 Et in suos clementia,  
 Clausa nullo est termino:  
 Et firma stat pactis fides.  
 Posterorum posteris  
 In sempiterna sæcula.

PSAL. CI. *Misericordiam & iudicium can-  
 tabo tibi Domine, &c. Carm gen. 5.*

**T**E salus rerum cano, qui precanti  
 Lenis irarum es, facilisq; flecti,  
 Impiorum idem tetricus rebelles  
 Frangere fastus.

Huc meæ uires uigilant, labores  
 Huc ferent omnes, opis in tuæ spem  
 Sæmper ut castis domus institutis  
 Culta nitefcatur.

Si salutarem mihi tu serenus  
 Porrigis dextram, tibi corde puro  
 Seruiam, fraudum scelerisq; pura  
 Seruiet aula.

Nec mihi exemplum statuam sequendum,  
 Litibus si quis miseros iniquis  
 Vexet, aut causam tenuis clientis  
 Prodidit hosti.

Sponte qui prauis studijs inhæret,  
 Sit procul: sæui sceleris minister  
 Candidos nunquam mihi censeatur  
 Inter amicos.

Quis-

Quisquis incautum lacerat sodalem,  
Clam uenenato iaculatus ictu,  
Persequar, plectam penitusq3 ab ima  
Stirpereuellam.

Nec meæ menfæ dapibus fruetur  
Mentis elatæ tumor, arrogansq3  
Vultus, & cunctos ueluti minores  
Lumine spernens.

Veritas simplex quibus est amori,  
Hos amo, amplector, uideo libenter:  
His mihi seros socijs senectus  
Impleat annos.

Integer uitæ mihi sit minister:  
Tecta non intret mea fraudulentus:  
Nemo mecum intra mea commoretur  
Limina mendax.

Impios longè (mora nulla) terræ  
Finibus pellam: procul omne monstrum  
Ciuitas sancta ut Domini releget  
Flagitiorum.

PSAL. CII. Domine exaudi orationem meam: &c. Carm. gen. 13.

**E**Xaudi genitor sancte meas preces,  
Clamorisq3 sonum percipe lugubris:  
Ne uultum misero subtrahe, cladibus  
Omni ex parte prementibus.  
Aures supplicijs nunc adhibe meis:  
Da uotis facilem te, pater optime,  
Et presso celerem porrigere dexteram,  
Et

Et præfenti ope fubleua.

Ceu fumi nebulæ tempora tranfuolant,  
Vt lentis coquitur tôrris ab ignibus,  
Paulatim tacitus fic dolor aridis  
Humorem ebibit artubus.

Dum luctu crucio me dapis immemor,  
Vt fefta è uiridi gramina cefpire  
Arefcunt nimio torrida fole, cor  
Exfuccum mihi tabuit.

Crèbrò fic remeans fpiritus ilia  
Tendit, fic gemitus pectora concutit  
Mæftus continuò, tabida uti cutis  
Iam uix hæreat offibus.

Vt faltus habitans cuculus auios,  
Aut teftis latitans noëtua dirutis,  
Aut turtur uiduus, folus, inops, dies  
Et noëtes uigiles gemo.

Dum ceu ludibrium rideor improbis,  
Irrifa mq; petunt fraude nefaria,  
Nec panis cinere eft gratior arido, &  
Potum tempero fletibus.

Iftis ira malis me cumulat tua,  
Qui me fustuleras ex humili loco.  
Sublimi grauius rurfus ut è gradu  
Tractum præcipitem dares.

Vt ferò in tenebras umbra crepufculo  
Vanefcit, celeres deproperant dies  
In mortem, ueluti fub medio die  
Fœnum, corpus inaruit.

At te perpetuis fæcula fæculis

N

Nescientem, uolucris non fuga temporis  
Carpit, nec memorem nominis obruet  
Famam posteritas tui.

Tandem surge pater, tecta Sionia  
Iam lenis placido respice lumine.  
Iam pleno redeunt tempora circulo,  
Promissumq; ferunt diem.  
Iam serui lapides respiciunt tui  
Disiectos faciles, sparsaq; rudera,  
Incultiq; soli iam miserabilem  
Versa mente dolent uicem.

Vt uertat populos terror in exteros,  
Vt nomen Domini sit celebre omnibus  
Et numen, trifidum quâ colitur solum,  
Formidabile regibus:

Versam restituet quum Solymam, suæ  
Maiestatis opes quum dabit aspici:  
Lugentum miseris quum querimonijs  
Flectet se & prece supplice.

Scribentur tabulis ista fidelibus,  
Seris ut Domini nota nepotibus  
Sit laus, nec senium prodita posteris  
Norit gloria sæculis.

De sanctis adytis ætheriæ domus,  
Templi sepositis de penetralibus,  
Cælestis Dominum non piguit soli  
Curas respicere ad leues.

Nexorum ut gemitus audiat, & neci  
Addictos tetrica compede liberet:  
Laudes ut Solymæ templa Deo sonent,  
Et

Et nomen recinat Sion  
 In cœtu celebri. Tum procul ultimis  
 Terrarum populi finibus exciti  
 Illuc sacra ferent, & Domino dabunt  
 Reges munera supplices.  
 Quamuis in medio curriculo meum  
 Robur comminuit, destituit manum,  
 Atq; æui spacijs tempora lubrici  
 Contraxit breuioribus:  
 Clamabo tamen, O mi Deus unice  
 In uitæ medio ne stadio breuem  
 Cursum siste rotæ. quantulum ad ultimam  
 Iam metam superest mihi?  
 Te nunquam breuibus clausa recursibus  
 Astrorum, semo conficiet dies:  
 Tu terræ stabilis mole, uolucris  
 Tu cæli prior ignibus.  
 Illis interitus stant sua tempora:  
 Tu nullo interitum tempore senties.  
 Annorum series cætera deterit,  
 Vt uestris teritur uetus,  
 Vt detrita nouis pallia uestibus  
 Permutat locuples: sic abit & redit  
 Et mutat facies imperio tuo  
 Mundi Dædala machina.  
 At tu, qui fueras, semper es atq; eris:  
 In te ipsoq; habitas: nec uarias uices  
 Decurso patiens tempore, permanes  
 Metæ sæcula nescia.  
 Sed serui soboles & sobolis tui  
 Serui posteritas per seriem tuis

Tecum perpetuis æmula sæculis,  
 Aevi tempora transigent.

PSAL. CIII. *Benedic anima mea Domi-  
 no: & omnia, &c.* *Carm. gen.*

Sit parens rerum mihi carmen: illum  
 Vox canat, sensus petat, & remotis  
 Quisquis est fibris uigor, & sacratum  
 Nomen honoret.

Mens Deo laudes cane, redde grates  
 Mens Deo: nullis benefacta læclis  
 Excidant, & quæ tribuit benigna  
 Munera dextra.

Qui scelus tollit maculosum, & ægros  
 Sanat angores, animoq; uires  
 Reddit, & uitæ properante fato  
 Prorogat annos.

Qui manu larga tibi plura donat  
 Ore quam poscas, animo uel optes:  
 Seruat & in morem aquilæ, uirentem  
 Flore iuuentam.

Integer iudex, scelerumq; uindex,  
 Tradidit sancto sua iura Mosi:  
 Hæci prolem docuit piarum  
 Dogmata legum.

Lenis & blandus, dare dona largus,  
 Tardus irasci: neq; sempiternæ  
 Sæuit offensæ memor, aut perennes  
 Ardet in iras.

Nec modus pœnæ numerusue nostris  
 Aequus



Acquus est culpis: bonitas redundat  
 Latius, terræ plaga quàm remoto  
 Distat Olympo.

Tam procul nostri maculas remouit  
 Criminis, quàm se procul à cubili  
 Gaditano sol oriens Eois  
 Exerit undis.

Qualis in natos placidi parentis  
 Lenitas, talis Domini benigni est,  
 Quisquis illius pietate uera  
 Nomen adorat.

Tu sinus mentis penitus repositos,  
 Tu pater nosti penetrabile cordis:  
 Quippe nos terræ memor è rubenti  
 Puluere factos.

Herba ceu lactens pueri uenustas,  
 Prodit, occultoq; adolescit æuo,  
 Donec ut fœnum cadat arefactum  
 Falce senectæ.

Instar aut floris Tyrio comantis  
 Muricæ, ut uultu modicè sereno  
 Risit, afflatu tepidi repente  
 Concidit Austri.

Sed Dei æterna bonitate in æuum  
 Tutus æternum, remanet piorum  
 Cœtus, & longa serie propago  
 Sera nepotum:

Si nec æternas uiolabit iusti  
 Fœderis leges, memoriq; iussa  
 Mente seruarit, referatq; uita  
 Puriter acta.

Ille flammantis super alta cæli  
 Culmina immotum solium locauit,  
 Et suo nutu facillè uniuersum  
 Temperat orbem.

Angeli iussis Domini ministri,  
 Sub iugum ius est quibus & potestas  
 Cuncta cogendi, Domino Deoq̄  
 Pangite laudes.

Quiq̄ castrorum comites meretis  
 Sub ducis tanti imperio, audientes  
 Sedulò dictis, Domino Deoq̄  
 Pangite laudes.

Quæq̄ per vastos ubicunq̄ fines  
 Imperi pollens opifex creauit,  
 Plaudite, auctori Domino Deoq̄  
 Pangite laudes.

Mens Deo grates cane: redde grates  
 Mens Deo: hunc sensus petat, & remotis  
 Quisquis est fibris uigor, & beatum  
 Nomen honoret.

PSAL. CIIII. *Benedic anima mea Domi-*  
*no, &c.* *Carm. gen.*

**T**E rerum Deus alme canam Dominumq̄  
 patremq̄.  
 Magne parens sancta quàm maiestate uerè  
 Aetheris æternas rector moliris habenas.  
 Te decor, auratis ambit te gloria pennis,  
 Et circumfusum uestit pro tegmine lumen.  
 Tu tibi pro uelo nitidi tentoria cæli  
 Et

Et liquidas curuo suspendis fornice lymphas:  
 Et leuibus uentorum alis per inania uectus,  
 Frenas ceu celeres uolitantia nubila currus.  
 Apparent accinctæ auræ flammæq; ministræ,  
 Vt iussa accipiant. Stat nullo mobilis æuo  
 Terra, super solidæ nitens fundamina molis,  
 Pollenti stabilita manu. terra obruta quondā  
 Fluctibus, ut fuso super ardua culmina uelo:  
 Sed simul increpuit tua uox, tonitrūq; tremen  
 In sonuere auræ, paulatim ascēdere mōtes (do  
 Cernere erat sensimq; cauas subsidere ualles:  
 Inq; cauas ualles trepidas decurrere lymphas.  
 Neue iterum immissa tellus stagnaret ab unda,  
 Limitibus compressa suis resonantia plangit  
 Littora, præscriptas metuens trāscēdere metas.  
 Tum liquidi fontes imis de collibus augent  
 Flumina, per uirides undas uoluentia campos,  
 Vnde sitim sedent pecudes quæ pinguia tōdent  
 Pascua, quiq; feris Onager saxa inuia siluis  
 Incolit. hīc leuibus quæ tranant aëra pennis,  
 Per uirides passim ramos sua tecta uolucres  
 Cōcelebrāt, mulcētq; uagis loca sola querelis.  
 Tu pater aërios montes camposq; iacentes  
 Nectare cælesti saturas, fœcundaq; rerum  
 Semina uitales in luminis elicis auras:  
 Vnde pecus carpat uiridis noua pabula fœni:  
 Vnde olus humanos geniale assurgat in usus:  
 Quæq; nouent fessas cerealia munera uires:  
 Quæq; hilarent mentes iucundi pocula uini,  
 Quiq; hilaret uultus succus uiridātis Oliui.  
 Nec minus arboribus succi genitabilis humor

N iij

Sufficitur. Cedro Libanum frondete coronas,  
 Alitibus nidos. abies tibi confita surgit,  
 Nutrit ubi implumes peregrina ciconia foetus  
 Tu timidis montes damis: caua saxa dedisti,  
 Tutus ut abstrusis habitaret Echinos in antris.  
 Tu lunæ incertos uultus per tempora certa  
 Circumagis puroq; accensum lumine solem  
 Ducis ad occiduas constanti tramite metas:  
 Inde superfusis cuncta inuoluentibus umbris,  
 Per tacitas spargis nocturna silentia terras.  
 Tum fera prorepit latebris, siluisq; relictis  
 Prædator uacuis errare leunculus aruis  
 Audet, & è cælo mugitu pabula rauco  
 Te patrem exposcit: dein rursus sole renato  
 Abditur occultis prædatrix turba cauernis:  
 Inq; uicem subeunt hominumq; boumq; la-  
 bores,

Donec fera rubens accendat lumina uesper  
 Sic pater in cunctos didis te prouidus usus.

Nec tantum tellus, genitor, tua munera sentit,  
 Tu uarijs foecunda bonis: sed & æquora ponti  
 Fluctibus immensas circumplectentia terras,  
 Tam laxo spatiosa sinu: tot millia gentis  
 Squamigeræ tremula per stagna liquentia cau-  
 da

Exultant: tot monstra ingentia & horrida uisu  
 Veliferas circum nant puppes: grandia cete  
 Effingunt molles uitreo sub marmore lusus.  
 Atq; adeo quæ terra aruis, quæ fluctibus æquor  
 Educat, à te uno pendent, pater optime, teq;  
 Quæq; suo proprium poscunt in tempore uictum.

Te

Te magnam pādente manū, saturantur abūdē  
Omnia: te rursus uultum condente fatiscunt.  
Te tollente animam, subito exanimata recur-  
runt

In cinerem: inspirāte animam te denuō, surgit  
Illico fœcundæ sobolis generosa propago,  
Et desolatæ gens incolit aurea terras.

Sic eat. ò nullo regnet cum fine per æuum  
Maiestas diuina: suūmq; in sæcula latus  
Seruet opus Deus, ille Deus quo territa tellus  
Concutiente tremit, mōtes tangente uaporāt,  
Fumifera trepidum nebula testante pauorem.  
Hunc ego, dum uiuam, dum spiritus hos reget  
artus,

Vsq; colam: tātūm ille meas facilisq; bonusq;  
Accipiat uoces: nempe illo oblector in uno.  
At uerò impietas planè extirpetur ab ima  
Radice, & scelerum stirps nulla repullulet: ac  
nos

Te rerū De<sup>o</sup> alme patrē Dominūmq; canem<sup>o</sup>.

PSAL. CV. Confitemini Domino, & inuo.  
etc. Carm. gen. 24.

**C**Anite Dominum, & inuocate  
Nomen eius: exteris  
Facta gentibus per orbem  
Prædicate illustra.  
Ille sermo, carmen ille,  
Illius miracula,

*Impi-  
et  
vident.*

Nomen eius, numen eius,  
 Vna nobis gloria.  
 Hanc amantum & hunc petentum  
 Palpitet cor gaudio.  
 Robur eius, pignus eius  
 Sacrosanctum roboris  
 Petite: uultum eius beatum  
 Continenter quærite.  
 Subeat animum quanta nostris  
 Edidit maioribus  
 Signa, quæ portenta: legum  
 Scita quæ reliquerit.  
 Vos Abrami, uos Iacobi  
 Posteris, serui Dei  
 Separati, sorte lecta  
 Natio, uos alloquor.  
 Ille rerum rector unus,  
 Orbis unus arbiter,  
 Facta nostris firma seruat  
 Pacta cum parentibus.  
 Verba meminit: mille sancta in  
 Sæcla nectit fœdera,  
 Ista primitus cum Abramo,  
 Deinde iurata Isaco:  
 Isaci sancita nato,  
 Lege non mutabilis  
 Posterisq; sempiterno  
 Roborata uinculo:  
 Quum tibi Chananæa (dixit)  
 Arua sorte diuidam.  
 Turba numero parua quamuis

Aduena

Aduena illic degeret,  
Aucta nondum stirpe longis  
Temporum decursibus,  
Regna quanquam & nationes  
Exul errans uerteret,  
Hos tamen Dei benigna  
Fouit indulgentia:  
Vimq̄z duram præpotenti  
Dextra ab illis arcuit:  
Et minis reges molestos  
Tetricis compefcuit.  
Ne mihi (inquit) consecratos,  
Ne mihi unctos tangite:  
A meis, moneo, prophetis  
Abstinete iniuriam.  
Quum famem uoracem in orbem  
Contumacem induceret,  
Gentibusq̄z alimenta latè  
Noxijs subduceret,  
Præuium misit ministrum  
Nili ad arua fertilis.  
Filiū pulchræ Rachelis  
Mango turpis uendidit:  
Carceris latuit tenebris,  
Crura uinctus compede,  
Somnij donec soluti  
Nota regi ueritas,  
Crura ferro liberauit,  
Soluit animum crimine:  
Et noua sortis benignæ

Iam

Iam uicissitudine,  
 Regionum seruulorum  
 Seruus antè ignobilis,  
 Frena rerum tractat unus:  
 Nuper è custodia  
 Missus, aulæ purpuratos  
 Nunc coërcet uinculis:  
 Et senum iuuenis seueræ  
 Præsidet prudentiæ.  
 Isaci tandem propago  
 Arua relinquens patria,  
 Pinguis ad fluentia Nili  
 Castra fixit aduena.  
 Ac Deo fauente, læta  
 Stirpe sic reffloruit,  
 Viribus breui ut præiret  
 Inquilinus incolas.  
 Tum Phari rector superbæ  
 Mente uersa Abramidas  
 Fraude molitus nefanda  
 Stirpitis reuellere:  
 Circulo donec uoluto  
 Destinati temporis,  
 Legifer cum fratre Moses  
 Missus est diuinitus,  
 Ac Pharon Phariq, regem  
 Terruit miraculis.  
 Ergo natura, imperantis  
 Non rebellis iussibus,  
 Vestijt polum tenebris,  
 Et solum caligine

Condi-



Condidit, ceu nocte cæca  
Sole iusso cedere:  
Vnda decolor cruoris  
Tabes riuos polluit,  
Squameæq; strage turbæ  
Inquinavit littora.  
Terra felix ante frugum,  
More nunc præpostero,  
Turpibus fœcunda ranis  
Squalet: ipsa regia  
Fœta ranis, ipsa regum  
Fœta erant cubilia:  
Musca deinde nube densa  
Fusa Memphin occultit:  
Cyniphôn cruenta passim  
Obuolabant agmina.  
Instar imbrium ruebat  
Mista flamma grandini,  
Arbores nudans comantes  
Flore, fronde, fructibus.  
Quod reliquit atra grando,  
Mox locusta perdidit:  
Bruchus abstulit, locustas  
Quod uoraces fugerat.  
Tot malis subinde fœuis  
Icta Nili regia,  
Quum ferox non mitigaret  
Contumaces spiritus,  
Dira populum mox in ipsum  
Versa pœna fœuijt.  
Prima pignorum repentè

Per

Per penates omnium  
Occidere: cuncta planctu  
Cuncta luctu personant.  
Rege tandem pertinace  
Cladibus perterrito,  
Sancta Memphin gens reliquit,  
Iam tyranno libera,  
Diues auro argenteisq;  
Barbarorum poculis.  
Nec tot inter millia ullum  
Languor attentauerat.  
Ergo Nil iam pauore  
Exoluta regia,  
Voce, uultu, plausibusq;  
Præferabat gaudium.  
At parens memor benignus  
Gentis electæ sibi,  
Per siticulosæ arenæ  
Acquor æstu imperuim  
Castra nubis textit umbra,  
Luce: noctem luridam  
Ignium latè corusco  
Temperauit lumine.  
Arua, uictum quum rogarent,  
Textit imber alitum:  
Panis impluit per auras  
More densæ grandinis:  
Petra iussa fudit undas:  
Deq; rupis uiscere  
Antè sicca solitudo  
Flumen hausit. Scilicet

Fœderis

Fœderis parens benignus  
 Immemor nunquam sui,  
 Quod sibi charo cum Abramo  
 Omne in æuum fecerat.  
 Sic parentum stirps piorum,  
 Tuta ductu numinis,  
 Arua liquit fraudulenta  
 Perfidii Pelusii:  
 Et ferarum nationum  
 Occupatis oppidis,  
 Tradidit Deus impiorum  
 Ijs labores carpere:  
 Sanctiones ut tenerent  
 Sacrosancti fœderis.  
 Et piarum ad iussa legum  
 Facta cuncta fingerent.  
 Laus, honor decusq; Regi  
 Sempiterno cœlitum.

PSAL. CVI. *Confitemini Domino, quoni-*  
*am bonus, &c. Carm. gen. 14.*

**L**audate Regem cœlitum, regem bonum,  
 Suisq; nullo non benignum tempore.  
 Quis facta uerbis æquet? eloquentiæ  
 Quis assequetur illius potentiam?  
 O ter beatos æqui amantes, & tuæ  
 Præscripta legis qui tuentur iugiter!  
 Memento nostri facilis & fauens, tuum  
 Prospicere populum qua soles clementia:  
 Et me reuise lenis ac salutifer,

Vt

Vt separati tibi bonis populi fruar,  
 Carpamq; lætus quo fruuntur gaudio,  
 Hæreditatiq; comes applaudam tuæ.  
 Scelesti proles cum scelestis patribus  
 In te rebelles multa iniqua fecimus:  
 Abominanda, dira perpetravimus.  
 Nam nec tyranni Aegyptij ex ergastulo  
 Nostri parentes liberi per te, tua  
 Ostenta grauer ponderarunt, nec tuæ  
 Meminere gratis mentibus clementiæ:  
 Sed propter undas æquoris rubri, duces  
 Aduersus animis turba contumacibus  
 Obmurmuravit. At parens malis bonus  
 Pœnas remittis, ut tuam clementiam  
 Agnoscat orbis, & tremat potentiam.  
 Nam comminanti cessit unda fluctuum:  
 Suspensa moles hinc & inde per sali  
 Tranquilli arenas aridam dedit uiam,  
 Ceu solida campis figerent uestigia:  
 Donec tyranno liberati & hostium  
 Crudelitate, tuta tuti littora  
 Tenuere. at hostes uorticofo gurgite  
 Absorpsit unda, cladis ut nec nuntius  
 Superesset. Illic tum salutis compotes  
 Fidemq; uerbis præbuere, & cantibus  
 Cecinere festis numinis potentiam.  
 Metu repulso, protinus lasciua  
 Animos rebelles perculit: nec amplius  
 Meminere signa nec pericla pristina:  
 Repentè praua perciti libidine  
 Arsere, uerbis & Deum procacibus

Iræ

Irae impulerunt frena iustae soluere:  
Ac flagitatos impie dedit cibos,  
Iustisq; poenis impios coercuit.  
Nec poena mentes nec benignitas feras  
Mollire potuit, quin procaciter ducem  
Ducisq; fratrem peteret aemulatio,  
Et freta studijs semper ambitio malis.  
Sed factiosos terra vasto condidit  
Sinu dehiscens, flammeiq; gurgitis  
Torrens uorago deuorauit impios.

Nec noxiorum monita tot poenis modum  
Gens praua sceleri fecit. Horebi in iugo  
(Proh facinus!) ante imaginem bouis dei  
Imago sese strauit, & fronde saturi  
Simulacra tauri coluit instar numinis.  
Partae salutis nuper ingrata, immemor  
Miraculorum in urbibus Niloticis,  
Et fluctu eodem sospites se, sabrutos  
Hostes superbos uorticosis aestibus.  
Ergo scelestos ira iusta perdere  
Ibat, furenti ni Deo charum caput  
Pro gente Moses obtulisset, & prece  
Frenasset iras. Nec tamen turbae furor  
Illic quieuit. expetitur tam diu  
Vber feracis spreuit agri: nec fidem  
Mosi docenti, pollicenti nec Deo  
Habuit: tumultu castra complens respuit  
Imperia: donec ille munificus parens,  
Delere promptus inter inuia montium  
Toties rebelles, extulit dextram, & genus

O

Per nationes impias disperdere  
 Nam destinarat: ante sculpta numina  
 Iterum proterui procidere, & mortuis  
 Dijs tura, lectasq; immolarunt hostias:  
 Deum sceleribus prouocauerunt nouis,  
 Irãmq; rursus exasperarunt uindicem:  
 Iusta incitatus donec ira Phineas  
 Ferro scelestam punijt licentiam,  
 Et sæuientem dexteram compescuit  
 Domini, sibiq; peperit æternum decus,  
 Quod nulla hileant posterorum sæcula.

Nec contumaces supplicia tot spiritus  
 Coercuerunt, Meribæ ad undas quin Dei  
 Rursus furorem accenderent: nec publico  
 Moses furore liber etiam incredula  
 Oratione uertit iram numinis  
 In se. Potiti deinde pactis finibus,  
 Nec impiarum semen omne gentium  
 Disperdiderunt funditus, nec iustibus  
 Rectè monentis paruerunt numinis:  
 Sed se profanis miscuere gentibus,  
 Didicere ritus, seruire ludicris  
 Dijs: ac eorum mancipati cultibus,  
 Tenuere puras à scelere nullo manus.  
 Quippe immolarunt filios ac filias  
 Ad dæmonum aras: & suæ propaginis  
 Tinxere sculptos sanguine innocuo deos,  
 Terramq; sanctam polluerunt cædibus.  
 In scelera proni abominanda, dum suæ  
 Manus adorant opera, patrium Deum  
 Iustas

Iustas ad iras prouocarunt, ut suam  
Hæreditatem abominatus impijs  
In seruitutem manciparet hostibus:  
Quorum seüero penè contriti iugo,  
Posuere sæuam spiritus ferociam:  
Ac liberati sæpe Domino uindice,  
Rursus rebelles spiritus in uindicem  
Sumpserunt: rursus ob scelera pœnas sua  
Dedere. mitis nec Dei bonitas tamen  
In rebus arctis innocentium à prece  
Avertit aurem: fœderis memor sui  
Pœnas remisit lenis & placabilis.  
Quin & superba corda gentis barbaræ  
Cui seruibant diruta iam patria,  
Leniuit animos omnium ut perstringeret  
Imago fortis flebilis uel hostibus.

Tu nos tuere Domine noster & Deus,  
Et è profanis gentibus recollige:  
Ut te cauamus, nomen ut sanctum tuum  
Celebremus unum: populus omnis ut simul  
Dicat, Deo quem posteri Abrami colunt,  
Sit laus, honôrque in sæculorum sæcula.  
Amen, amen.

O ij